



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt III. Mittitur Dilingam ad studia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

42 VITA WILHELMI ROTHENSIS
giosis viris eum diligentius obseruantibus,
non sine magna admiratione & diuinæ
prouidentia ac clementia assidua depreca-
tione, quæ famulum suum in tam tenera
ætate tantis gratiarum charismatibus tam-
que piè præuenisset. Et sanè iam tum, cum
nondum vigeret ea quæ nunc est Refor-
matio, videbatur à sancto illo animarum
doctore diuino Spiritu intus agi, compen-
diosa quadam via & ratione instructus ad
sanctitatem paulatim euehi, & non solum
Angelis gratum, sed hominibus quoque,
suis præsertim, spectaculum & perfectum
vitæ religiosè traducendæ speculum fieri;
vt manifestè manus Domini cum eo esse,
nec non dextera Excelsi præuentus esse de-
prehenderetur, qui tam arcto incedere tra-
mite, & perosam multis mortificationis
viam ingredi in iuuenili ætatis flore fortiter
incepisset, & gloriosè cõsummare pergeret.

C A P V T I I I.

Mittitur Dilingam ad studia.

MAGNA & atra ignorantia nubes vni-
uersam Ecclesie sphæram obtexe-
rat, graui vbique laborabatur inscitia, Sa-
cerdotes ipsi rudes & legis diuinæ imperiti,
prò dolor! reperiabantur; eaque lues com-
munis

munis omnibus, ipsa etiam pietatis sacraria,
& Christianæ disciplinæ receptacula, Mo-
nasteria inquam & Cœnobia, peruaferat,
adeoque densis inscitiae tenebris inuolue-
rat, ut vix centesimum quemque vel pau-
lum politioribus literis excultum inuenire
licuerit: quæ res quantas clades quantasque
strages non solum vniuersæ Reipublicæ
Christianæ, sed singulis etiam Monasterio-
rum habitationibus inflixerit, vix deplora-
ri, nedum explicari satis vniquam potest.
Errabant & aberrabant passim omnes, rue-
bant in præcipitia: non ad legis præscriptum,
sed libidinis impetum, vitam instituebant:
voluebantur in foueas infernales, cæca
mente & cæco ductu, nemine ferè per do-
ctrinam agnoscente aut demonstrante iter
ad cælestem patriam securum & expedi-
tum. Ei malo ex diuinæ sapientiæ largitate
remedium datum nobilissima & celeberrima
illa Societas I E S V: quæ quot Collegijs
constitutis in orbem diffusa fuit, tot veluti
lucidissimis doctrinæ & sapientiæ lumini-
bus mundum vniuersum illuminauit, te-
nebrasque illas Cymmerias ei offusas lau-
dabiliter dispulit. Ille igitur prædictus Præ-
sul prouidè aduertens doctrinâ omnia re-
stauranda esse, malum illud inscitie ut auer-
teret à suo Cœnobio, iuuenes Religiosos
præcla-

44 VITA WILHELMI ROTHENSIS
præclarioris indolis & ingenij primus Di-
linganam ad Academiam mittere magnæ
curæ habuit, vt inde doctrina & pietate in-
structi, velut ex equo Troiano ad subruen-
dos antiquæ Babylonis & nouæ Ierusalem
exstruēdos muros prodiret. Quod nequa-
quam eum fefellit; quantum enim attulerit
momenti, testatur hodie vicens ac florens
ad antiquam Norbertinæ disciplinæ nor-
mam sapienter inducta, feliciterque conti-
nuata, fulta & aucta Reformatio. Cùm au-
tem VVILHELMVS noster inter reliquos
suos coęuos pietate & laboris improbi con-
tentione cederet nulli, doctrinâ ob tardius
ingenium fortasse paucis; & ea in ipso indo-
les emicaret, quæ non nisi magna & præ-
clara promitteret; vnâ cum alio Fratre ad
Dilinganum literarum Emporium sub Pa-
trum Societatis I E S V in Collegio S. Hie-
ronymi fidem, tutelam, disciplinamque
fuit emissus: quam gratiam, secundum
Deum, sancta ei vita & sedulum in omni-
bus tam literarijs quàm pietatis exercitijs
studium promeruit.

C A-